UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ Theologiæ summa continetur

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

De simili ordine peccandi in nobis, & in primis parentibus. G

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

Visual Library

commune cum pecore, recte dicitur ad exteriorẽ hominem pertinere. Nõ enim ſolum corpus exterior homo deputabitur: ſed adiũcta quadam vita ſua, qua cõpages corporis, & omnes ſenſus vigẽt, quibus inſtructus eſt ad exteriora ſentienda. Aſcendentib⁹ ergo introrſum quibuſdam gradibus conſiderationis per animæ partes, vbi incipit aliquid occurrere, quod non ſit nobis cõmune cum beſtiis, ibi incipit ratio, vbi homo interior iã poſſit agnoſci. Rationis autem pars ſuperior, æternis rationibus conſpiciendis vel conſulendis adhæreſcit, portio inferior ad temporalia gubernanda deflectitur. Et illa rationis intentio qua contemplamur æterna, ſapientię deputatur: illa vero qua bene vtimur rebus temporalibus, ſcientiæ deputatur. Cum vero diſſerim⁹ de natura mẽtis humanæ, de vna quadã re diſſerimus, nec eam in hæc duo quæ commemorauimus, niſi per officia, geminamus. Carnalis autem vel ſenſualis animæ motus, qui in corporis ſenſus intenditur, nobis pecoribuſque communis eſt: qui ſeclusus eſt à ratione ſapientię, rationi autem ſcientię vicinus eſt.

Lib. de Tri. 12. cap. 3. in principio.

Ca. 7. eiuſdẽ li. 12. de Tri. in fine.

Ca. 14. eiuſdẽ ad prin.

Li. de Tri. 12. ca. 12. ad princip.

Quod talis eſt ordo peccandi, vel cadendi in nobis, qualis fuit in primis hominibus. G

Illud quoque prætermittendum non eſt, quod talis nunc in vno homine tentationis eſt ordo & progreſsio, qualis tunc in primis præceſsit parentibus. Vt. n. tũc ſerpens malum ſuaſit mulieri, ipſa que conſenſit, deinde viro ſuo dedit, ſicque conſummatum eſt peccatum: ita & nunc in nobis pro ſerpente eſt ſenſualis motus animæ, pro muliere inferior portio rationis, pro viro ſuperior rationis portio. Et hic eſt vir qui ſecundum Apoſtolum dicitur imago, & gloria Dei: & illa eſt mulier, quæ ſecundum eundem dicitur gloria viri. Atq; inter hũc virum & hanc mulierem, eſt velut quoddam ſpirituale coniugiũ naturalisq; contract⁹, quo ſuperior

De ſpirituali coniugio viri & mulieris in nobis.